

Achenwall
observationes juris naturalis

1 - 4

1754





GOTTFRIEDI ACHENWALLI
PROF. PHIL. ORD. ET IVR. EXTRAORD.
IN ACAD. GEORGIA AVGVSTA
OBSERVATIONES
IVRIS NATVRALIS

SPECIMEN III.
DE
LEGE PERFECTA
SEV DE
IVRISPRVDENTIA IN GENERE.




GOTTINGAE
SVMT. VICT. BOSSIEGEL. MDCCLIV.

GOTTFRIEDI ACHENWALLI
IN ACAD. GEORGIA AVGVSTA
OBSERVATIONES
IVRIS NATVRALIS

STECIMEN III
DE
LEGE PERFECTA
SIV DE
IVRISPRVDENTIA IN GENERE.



GOTTINGAE
SAMT. VICT. ROSSIGELI MDCCCLV



SPECIMEN III.
OBSERVATIONVM
IVRIS NATVRALIS.

DE
LEGE PERFECTA
SEV DE
IVRISPRVDENTIA IN GENERE.

In *Elementis Iuris Naturalis et Gentium cap IV.* praecognitorum periculum fecimus, *terminologiam* Juris delineandi, suppeditando definitiones primorum terminorum, iuribus positivis cum naturali communium: easque tali quidem comprehensione, qua, remotis iis determinationibus, in quibus utriusque generis iura differunt; non contineant nisi notas, in utriusque generis iuribus easdem, ideoque ad utrumque iis simul adcommodatas. Nunc, quae posterior cura suggestit, plenius quaedam, castigatius alia sumus tradituri.

§. I.

FACULTAS seu possibilitas agendi respective sumpta, quatenus legi non est contraria, vocatur MORALIS.

Nemo obligatur ad id quod moraliter est impossibile: consequenter omnis obligatio ad aliquid coniunctam habet ad idem facultatem moralem, seu qui obligatur ad aliquid, ad idem habeat facultatem moralem necesse est.

I. In oppositione ad *facultatem moralem* reliqua facultas omnis, quatenus scilicet a lege abstrahitur, *physica* appellatur.

§. II.

COGERE *in genere* vocatur, mala alteri inferre: *in specie*; mala cum periculo vitae coniuncta alteri inferre. Illatio eiusmodi malorum *in specie*, etiam dicitur VIOLENTIA, EXTORSIO, EXACTIO. Facultas moralis cogendi alterum vocatur IUS (*subiective* seu pro *qualitate personae* sumtum).

Obligatio, quae, dum violatur, coniunctam habet alterius facultatem moralem cogendi; vocatur PERFECTA: quae minus; IMPERFECTA. Breuius, obligatio perfecta est obligatio cum *iure* alterius coniuncta: imperfecta; quae non coniuncta.

Inde et *lex* diuiditur in *perfectam* seu *cogentem* vel *imperfectam* seu *minus cogentem*.

I. Pone Caium habere facultatem moralem aliquid agendi, eamque actione quadam singulari exercere: hoc casu facultas moralis vel ita comparata est, vt si Titius actionem Caii impediuerit, Caio simul competat facultas moralis *cogendi* Titium, *ne impediatur*; vel ita, vt non competat. Prior *facultas moralis* dici potest *perfecta*; posterior *imperfecta*. Haec iure est destituta; illa e contrario ius continet; et hinc ipsa facultas

facultas moralis eiusmodi dicitur *ius agendi*, et est species iuris, scilicet ea, quae *actioni* cuidam *adhaeret*.

II. Finge actionem quamdam, ad quam committendam obligatur Titius, quamque committere detrectat: si hoc casu Caio competit facultas moralis, mala Titio inferendi, quae moraliter vsque ad violentiam extendi possunt, ex ea causa, quod non commiserit, vel eo fine, vt committat; adfirmo, Titium *obligari perfecte*, actioni eius inhaerere obligationem perfectam, Caio competere *ius* in Titium.

III. Ens illud, cui competit ius, vel incumbit obligatio aliqua, vocatur **PERSONA**.

IV. Caue confundas obligationem perfectam cum *externa* seu *extrinseca*, imperfectam cum *interna* seu *intrinseca*. **OBLIGATIO** dicitur **INTERNA**, in qua continetur motuum *ethicum*: **EXTERNAE**; in qua continetur motuum iuris.

Est autem **MOTIVVM ETHICVM** quod ex Ethica, (ex principio propriae felicitatis) petitur: consequenter ex officio vel in Deum, vel in nos ipsos, vel humanitatis in alios, abstrahendo a metu coactionis. Motuum **IVRIS** e contrario est, quod consistit in metu coactionis. Illa obligatio dicitur obligare in *conscientia*, haec propter *metum*.

Obligatio interna et externa sibi sunt oppositae; sed non contradictorie: qualis contradictio inter obligationes perfectam et imperfectam utique intercedit. Quamobrem et consistere interna atque externa obligatio simul possunt; licet non semper simul actu sint connexae.

Datur itaque obligatio simpliciter interna, datur simpliciter externa, et datur etiam mixta, quae ex vtraque est composita.

Obligatio perfecta semper est externa; obligatio imperfecta semper interna. Sed obligatio perfecta, praeterquam quod sit externa; et insimul interna esse potest: similiter

etiam obligatio interna mox perfecta mox imperfecta esse potest.

Hanc obligationis duplicem differentiam GVNDLING. in *Iur. Nat. et Gent.*, HENRICVS L. B. de COCCII in nouo *systemate Iur. Natur.*, et BVRLAMAQVI in *principes du Droit Naturel* sollicitate inculcant. Conf. etiam THOMASII *fundamenta Iur. Nat. et Gent.* lib. I. c. 4. §. 61.

§. III.

Legis perfectae effectus respectu agentis, qui ei subest, alius est; *antequam* agat: alius; *dum actu* agit. Priori casu agens *moraliter necessitatur*, ad actionem obligationi conuenienter dirigendam sub comminatione coactionis: posteriori casu, quatenus actionem obligationi conformiter non agit, *actu cogi* potest. Itaque legis perfectae duplex virtus est,

1) *obligandi* seu moraliter necessitandi sub metu coactionis,

2) *cogendi*.

Prior virtus legi inest *absolute*, et sese exserit *praecipiendo* vel *prohibendo*, ac appellari meretur *principalis*: quum posterior contra virtus legi *hypothetice* comperat dumtaxat, eiusque vsus sese manifestet tantum *in subsidium*; sicubi comminatio coactionis non suffecerit ad impediendam legis transgressionem. conf. *Spec. II. obseruat. nostrarum*.

Ex hac duplici legis perfectae virtute seu effectu comprehenditur Ictorum sectio legis in partem *desinitiuam* et *vindicatiuam* a).

a) Quum enim saepius in legibus posituis simul *poena*, quae refractarios manet, disertis verbis exprimitur: hinc docto-

doctores Romani iuris duas legis esse partes solere perhibent: *definitiuam*, quae praecipit vel vetat; et *vindicatiam*, quae cogit contumaces vel punit malos, et *sanctio* vocatur, leg. 9. §. 3. D. de *Rer. Diuis.* et leg. 41. D. de *poenis*.

§. IV.

Si actio obligati refertur ad legem perfectam, vel ei est contraria; vel minus: illa dicitur INIVSTA seu *iuridice* ILLICITA; HAEC IVSTA^a) ACTIO seu *iuridice* LICITA. Inde ipsa PERSONA, quae violat legem perfectam, vocatur etiam INIVSTA: quae minus; IVSTA.

Hinc intelligitur quid sit *iniustitia* et *iustitia*, et quod vtraque tum determinatio (adfectio, qualitas) actionis vel facti; tum etiam PERSONAE esse possit praedicatum.

Potest haec tum actionum tum personarum *iustitia* esse et *sensu negante* et *aiente* talis. In foro humani iuris ad iustitiam tribuendam personae vel actioni sufficit, si adfit iustitia in sensu negante.

I. IVSTVM sumitur mox in *sensu aiente*, mox *negante*. Si aliquid legi contrarium esse probari nequit; illud dicimus esse non iniustum seu IVSTVM SENSU NEGANTE: si aliquid legi congruum esse probari potest; dicimus illud iustum esse SENSU AIENTE. Hoc ad iustitiam et actionis et personae applicari potest. In sphaera iuris humani, ut actioni vel personae competat praedicatum iustitiae, non requiritur, ut sit *sensu aiente* iusta; licet neque excludatur iustitia sensu aiente talis. Nam quum hominum, entium finitorum, cognitio arctis sit circumscripta limitibus, ita ut ex principiis logices ratio in omnibus rebus humanis dicatur,

occul-

occultam veritatem falsitati aequipollere: sequitur ut illud et ad iuridica sit adplicandum negotia, ita ut quidquid probari nequeat esse iniustum, hoc est, quidquid iniustum esse ignoretur, nec pro iniusto iudicare possit, consequenter et ea-tenus pro iusto haberi fas sit. Sed de notione iustitiae infra pluribus.

II. IUSTITIA PERSONAE non est *fides pactitia*, sicuti hallucinatur THOMAS HOBBSIVS. Haec definitio enormiter *angusta*, quum fides non contineat nisi eam iustitiae speciem, quae in seruandis pactis consistit: simulque *periculosissima*, quandoquidem inde deduci posset, eum, qui obseruata lege pactitia, reliquas naturae leges violaret; iniustitiae postulari non posse. At ita effingendus erat Hobbessio iustitiae conceptus, ut non aduersaretur *systemati suo* famigeratissimo, Hinc talem ei attribuit significationem, qualis effluat necesse est ex eodem fonte, vnde promanare Ius omne Naturale somniat, scilicet ex principio: *ante pacta nihil dare iusti nec iniusti.*

a) Intelligimus nunc CICERONIS definitionem *legis*, lib. II. *de legibus*, c. 5. quod sit *iustorum iniustorumque distinctio*, et SENECAE *de Beneficiis*, lib. IV. c. 12: *legem iusti iniusti-que regulam esse.*

§. V.

ACTIO IUSTA vel lege perfecta est determinata; vel minus determinata: illa est OFFICIUM et quidem PERFECTUM seu NECESSITATIS seu IVRIS, haec e contrario est actio *iuridice* PERMISSA dumtaxat seu INDIFFERENS, vocaturque etiam RES MERAE FACULTATIS.

Actio iuridice indifferens iusta est, siue committatur siue omittatur: contra officium perfectum iusta qui-

quidem omnino est actio, ita tamen, vt eius opposita actio sit simul iniusta.

§. VI.

Factum iniustum in eadem est ad legem perfectam relatione, in qua factum minus rectum ad legem moralem seu legem in genere. Ergo factum iniustum vel continet reatum; vel minus continet: illud est *formaliter iniustum* et imputabile; hoc *materialiter* dumtaxat iniustum et minus imputabile, et factum iuridice *inculpabile*.

Reatus vel est dolus vel culpa. Quare *reatus iuridicus* continet factum iniustum vel *dolosum* vel *culposum*. confer. *spec. II. Obseruat. nostrarum*.

§. VII.

Actio iniusta vnico verbo nuncupatur **LAESIO**, quae est transgressio legis perfectae, seu violatio obligationis perfectae, seu actio legi perfectae contraria.

Quamobrem, quae dantur actionum iniustarum species: eae et laesionum concipi possunt. **LAESIO**, cui inest reatus, dicitur **MORALIS**: quae eo caret; **NON-MORALIS**. Prior vocatur **INIURIA**, atque est vel *dolosa* vel *culposa*.

Porro laesio continet actionem legi perfectae contrariam. Lex est vel praecipitua vel prohibitiua. **LAESIO** contra legem prioris generis vocatur **OMISSIVA**: contra legem posterioris generis; **COMMISSIVA**.

B

§. VIII.

§. VIII.

Simul atque ponis obligationem quamdam tamquam perfectam: ponendum etiam est, violationem eiusmodi obligationis esse factum iniustum atque laesionem. Quodsi itaque inde conficias propositionem: *Ne violes obligationem perfectam, ne sis iniustus, neminem laedas*; habebis leges perfectas.

I. Huius rei eo fine facimus hoc loco mentionem, ut intelligatur, has propositiones: *neminem laede*, cet. non restringi ad *Ius dumtaxat Naturale* atque ad obligationes tantum naturales; quin potius extendi quoque ad *ius positivum* atque ad obligationes positivias. *Lex: Neminem laede*, patet, quousque patet obligatio perfecta: ideoque quum haec et naturalis et positiva esse possit; illa quoque principium cognoscendi utriusque adferri potest. Vnde consequitur, ut hoc sensu, et si exacte loquendum est, propositio isthaec: *neminem laede*, tamquam Iuris Naturalis principium *adaequatum* adfirmari nequeat.

§. IX.

Pone obiectum, quo

- 1) utendi, eiusdemque
- 2) ab usu alios excludendi ius habeo: affirmo, hoc obiectum esse *meum*. Est itaque *svvm*, id quo quis uti cum exclusione aliorum iure potest^{a)}, brevius; id in quod alicui ius est. Si mihi; *meum*: si tibi; *tuum*: si alteri; *alienum*: si nobis; *nostrum*: si vobis; *vestrum* appellatur.

I. *VTITVR* obiecto aliquo, seu *ex eo utilitatem* capit, qui sese *ex aliquo obiecto perficit*. *EXCLVDIT* alterum ab obiecto

obiecto aliquo, qui efficit, vt alter obiecto quodam *vti non possit*, seu vt ab vfu eius *abstineat*, seu qui *impedit* alterum, ne vtatur obiecto aliquo.

II. Qui vtitur obiecto, *agit* circa obiectum. Vtilitatum igitur perceptio ex obiecto quodam continet *actum circa obiectum* susceptum. Quatenus omnis actus in obiectum aliquod cogitari potest tamquam *actus voluntatis*, qui continet finem, et *bonum* aliquod intendit, consequenter, qui vtilitatis cuiusdam ex obiecto consequendae gratia instituitur: eatenus *omnis actus* circa obiectum *vsum* quemdam complectitur. Ius ergo vtendi obiecto, extenditur in omnes circa idem obiectum actus, quatenus physice et moraliter possibiles sunt. Hoc ius vocant **IUS DISPONENDI** *in genere*.

Eadem ratione *ius excludendi* alterum ab vfu cuiusdam obiecti extendendum est ad ius efficiendi, vt alter *nullum omnino* circa illud *actum* committat, seu vt ab *omni* circa idem *actu* abstineat. Hoc ius excludendi vocatur etiam **IUS PROHIBENDI**.

III. *Non abstinere* ab alieno, seu *inuadere* alienum, seu *non tribuere* alteri id, quod eius est, vnum significant idemque.

a) Ita abstrahuntur characteres duo vniuersales, omnibus sui speciebus communes, ex notione *dominii*, quod determinatam sui speciem complectitur, atque ex mente celeberrimi nostri Ictri Illustr. GEBAVERI consistit, in *iure vtendi* fruendi re aliqua corporali, *simul omnes alios ab eius vfu excludendi*, in *Ord. Instit. Iust.* lib. II. tit. 1. §. 17. p. 43.

In philosophia praetica *sum* alicuius ex gr. Caii definitur, quod sit *perfectio* seu *medium felicitatis*, quae Caio ita tribui potest, vt si Titius eam Caio subtrahat, Caio competat facultas moralis cogendi Titium, ne subtrahat. Haec definitio cum ea, quam suppeditauimus, amice conspirat. Philosophus terminum *perfectiois*, Ictrus terminum *vtilis* amat, vterque

rerque idem cogitat. Qui *subtrahit, demit, imminuit* eiusmodi alterius perfectionem: *actum* circa eam exercet, ab ea *non abstinet.*

Quodsi autem *suum* cum HENRICO KÖHLERO in *Exercit. Iur. Nat.* IV. §. 747. definiueris per omne id, quo quis *instructus* est, et quod ad eius perfectionem facit, vel etiam cum aliis per id, quod ad alterum iuste *pertinet*: et obscure est sui notio, et simul latior definito, quod inde effluat diuisio eius, quod *suum* est, in *internum* vel *externum*, hoc est in *suum ethicum* vel *iuridicum*; quam diuisionem in Iure, quod solo suo externo seu iuridico occupatur, admittere neuti- quam possumus.

§. X.

Omne suum est *proprium*.

PROPRIETAS mea nihil aliud est nisi ius mihi competens, excludendi alterum ab usu eius, quod est meum (ab actibus circa meum): et id, in quod alicui competit proprietatem, dicitur *PROPRIVM*.

In omne suum competit facultas moralis, cogendi alterum, ut ab eius usu abstineat, competit eiusmodi excludendi ius; ideoque omne suum continet proprietatem, et est *proprium*.

§. XI.

Vt aliquid praedicari queat suum Caii, *requiritur*,

1) ut sit *utile*, hoc est obiectum, in quo cogitari possit utilitatis cuiusdam perceptio, seu mediante quo sese perficere Caius possit,

2) ut Caius utendi obiecto seu agendi circa illud gaudeat *iure*, consequenter facultate morali, h. e. ut eodem uti legi non prohibeatur,

3) ut

3) vt Caius alium ab vsu eius obiecti *excludere* moraliter possit,

4) vt eo casu, dum alter impedit Caium in vsu vel exclusione; Caius *cogere* moraliter possit alterum, vt ne impediat.

Omni iuri meo in obiectum aliquod respondere debet obligatio in altero. Ergo *suum* Caii est obiectum vtile, circa quod Caio ius vtendi competit, alteri obligatio abstinendi incumbit.

§. XII.

Pone obiectum A. esse suum Caii. Si Titius ab eo non abstinet; violat obligationem perfectam. Ergo simul atque ponitur suum, ponatur etiam necesse est lex perfecta: *Suum cuique* est tribuendum, seu non subtrahendum est suum alterius, seu abstinendum est ab alieno.

I. Hoc itaque sensu lex: *Suum cuique*, pariter atque: *ne minem laede*, non solo Naturali Iure continetur; sed in omnes obligationes perfectas, positivas etiam, extenditur. *Suum* scilicet concipi potest et *naturale* et *positiuum*. *Suum naturale cuique est tribuendum*, est propositio, quae non nisi in sphaera Iuris Naturalis comprehenditur, sed eadem propositio respectu legis: *Suum cuique* in genere, est propositio subordinata et specialis tantummodo.

§. XIII.

Suum proprium est vel alicui soli; vel pluribus simul: illud vocatur *PROPRIVM* in specie; hoc dicitur *COMMUNE*. Datur *proprium meum* et *alienum*:

B 3

com-

commune meum et alienum. COMMVNIO itaque (iuris) est proprietates pluribus simul competens.

I. Vt *suum* aliquod pluribus simul competere potest: ita et *obligatio* quaedam pluribus simul incumbere potest. Posteriori casu oritur *obligatio communis* et *communio obligationis*. Haec opposita est communioni in §. definitae, quae inde vocatur *communio iuris* seu *communio per excellentiam*.

II. Pone communionem iuris vel obligationis: pones plures personas, quibus tribuitur *communio* eiusmodi. Plures personae, quae sunt in *communione* (iuris vel obligationis), vocantur *PERSONA MORALIS* seu *MYSTICA* seu *CORPVS MORALE*, qualis est omnis societas.

§. XIV.

Malum alicui ortum ex laesione alterius, appellatur *DAMNVUM*.

Ergo 1) ex omni laesione oritur *damnum laeso* (homini, deus quippe mali est expers), &

2) posito suo, simul ponitur *propositio: Nemini damnium infer*, qua lex perfecta.

I. Malum quod alicui ex *casu* oritur, et personae tribui nequit, *iacurae* aut *detrimenti* nomine; non *damni* in sensu iuridico potest insigniri. *Damnum casuale* non datur iuridice.

II. Malum quod quidem alicui ex *actione* alterius; non vero iniusta, non laesione oritur, similiter *damnum* non est.

III. *Damnum* est laesionis effectus: hinc ex speciebus *causae* suae dispecitur

1) quoad agentem in *damnum morale* seu *iniuria datum*, vel *non morale* seu *citra iniuriam datum*; *morale* in *culposum* et *dolosum*,

2) quoad legem in *damnum commissionis* vel *omissionis* (§. VII.).

§. XV.

§. XV.

Finis omnis iuris laesi in laedentem est, vt suum sibi non subtrahatur, damnum non inferatur: consequenter, si damnum fuerit datum; vt illud cesset. Laesus ergo hoc casu habet ius exigendi a laeso, vt damnum datum cesset: cui iuri respondet in laedente obligatio efficiendi, quo damnum a se datum cesset, quae vocatur obligatio REPARANDI DAMNUM. Posita itaque laesione ponitur lex perfecta: *damnum datum repara.*

I. Leges: *damnum nemini inferas*, et *datum repares*, non minoris sunt extensionis, quam leges: *neminem laede* et *suum cuique*, consequenter ad ius posituum aequae ac ad ius naturale applicari possunt.

§. XVI.

De iustitia personae sigillatim quaedam annotabimus. IUSTITIAM PERSONAE in sensu iuridico appellamus eam personae qualitatem, qua leges perfectas non violat (§.IV.). Haec definitio plurimorum philosophorum sententiae parum est adcommodata: qui potius iustitiam *habitum*, leges ergo alios observandi, continere; ideoque eidem notam *virtutis* inhaerere necessario; comprehendique sub eadem omnium erga alios officiorum, non perfectorum tantum, sed *imperfecte* etiam debitorum observantiam strenue contendunt. Itaque defensio quaedam adferitionis nostrae est suscipienda.

§. XVII.

§. XVII.

In genere IUSTITIA PERSONAE vocari potest personae qualitas, quatenus leges (obligationes, officia,) erga alios non violat, estque vel INTERNA seu MORALIS seu ETHICA; vel EXTERNA seu IVRIDICA: illa est *virtus*, leges *erga alios* (et perfectas et imperfectas) observandi; haec nuda *adfectio*, leges perfectas non violandi.

Leges scilicet philosophiae moralis postulant potissimum officia *commissiva*, desiderant animum ad officia haec exhibenda *interna inclinatione* propensum, exigunt officiorum *exercitium*, quantum fieri potest, creberrimum ideoque *habitum*, obligant ad *virtutem*, obligant ad officia aliis, non perfecta tantummodo; sed *imperfecta* etiam, non necessitatis solum; sed *humanitatis* quoque exhibenda. Quidquid officiorum erga alios cogitari potest, ad illud praestandum praeceptis Ethices tenemur. Iustitia personae interna involuit necessario iustitiam *sensu aiente* talem.

Alia prorsus est ratio IUSTITIAE PERSONAE in *sensu IVRIDICO*, quae in ea nuda personae *adfectione* consistit, quatenus officia perfecta non violat, ab alieno abstinet, suum cuique tribuit. Distincta externa isthaec a iustitia interna potissimum in his duobus articulis, quod non requirat 1) observantiam officiorum *humanitatis*, 2) nec exigit *virtutem*.

I. Animadvertas, lector, nos loqui de *foro humano*, de iurisprudencia humana. Nam quod attinet *forum diuinum*, et obligationes summo Numini ab hominibus debitas, cognitum, cuique est ac *perspectum*, hominem Deo perfecte teneri
ad

ad omnia Ethices officia, ad omnes virtutes, consequenter Deum ab homine, quam poscat iustitiam, eam postulare qua virtutem. Vno verbo: Ius Naturale Diuinum et Philosophia moralis easdem continent leges, eadem exigunt officia, habitus, virtutes. Contra Ius Humanum, quum Naturale tum Positiuum, a Philosophia morali sicuti distat legibus et officiis: ita et maxime differt in ea, quam a subiecto homine obligato exigit, ad obseruandas leges animi interna dispositione.

§. XVIII.

I. IUSTVS in sensu iuridico est, qui leges perfectas non violauit; licet imperfectas non obseruauerit, officia humanitatis non exhibuerit. Hoc concedendum est, simul atque memineris, in *sphaera iuris* humani non contineri nisi leges perfectas. Cui quidem adsertioni,

a) quod ad *Ius Naturale* pertinet, exinde maximum accedit robur, quoniam, si in Iurisprudentiam Naturalem intruseris officia imperfecta; limites Iuris Naturalis et Philosophiae moralis confundantur adeo quidem, vt simul impossibile fit, terminos figere, qui utramque a se inuicem rite seiungant disciplinam.

b) Quod autem *Iura Positiua* concernit, experientia testatur, nullatenus vllam in iis contineri legem, quae imperfecta dici possit, neque per consequens vllum hominem secundum Iura Positiua iniustitiae in simulari posse, nisi qui perfectas violauerit: ceteros omnes haberi et agnosci debere ex eorundem mente iustos.

C

§. XIX.

§. XIX.

II. Ad *iustitiam* in sensu iuridico non requiritur *virtus*. Haec non *exclusivae*; sed *abstractivae* sunt intelligenda. Contendimus saltem, iustum aliquem dici posse in foro humano; *licet* virtute praeditus non sit: haud vero adferimus, quod is, qui sensu iuridico iustus appellatur, virtute necessario *carere debeat*.

a) Pone aliquem non teneri nisi *legibus prohibitiivis*, nec obligari nisi ad officia *negatiua*, ad actionum quarundam *omissionem*: quodsi iste ea omnia omittit, quae leges vetant; iniustus praedicari nequit, et eatenus in nuda et simplici *omissione* consistere observantia legum, *iustitia* potest. At hoc casu *habutum* cogitare, exigere *virtutem* absolum est. Et talis quidem est *status naturalis connatus*. Ius quippe Naturale Absolutum non consistit nisi in meris legibus prohibitiivis: ut in *Elementis Iuris Nat.* dedimus euictum, *fususque* in sequentibus explicaturi sumus.

b) Ad *iustitiam* qua *virtutem* nemo alteri perfecte *obligatur* neque in Iuribus Positiivis neque in Naturali: defectus virtutis nec *actionem* in statu civili, neque *bellum* in naturali parit. Scilicet virtute carere nullam continet alterius laesionem: ideoque leges perfectae virtutem non postulant, consequenter nec absentiam virtutis vindicant.

c) E contrario autem *iustitia* personae *externa* in *Iure Naturali* pertinet ad suum hominis connatum. Complectitur eam scilicet *existimatio bona simplex*, *fa-*
ma

maius viri, quam agnoscere quilibet alter perfecte obligatur, donec iniustitiam probat: quamque si verbis vel aliis factis externis alteri denegat, imminuit, lacerat; laedit famam, et laeso ad violentiam adhibendam ius porrigit.

d) In *statu civili* hoc ius existimationis et integrae famae connatum civibus subditis adhuc superest. Unde si quis, alterum non esse virum iustum, declarat: lura Positiva actionem *iniuriarum* concedunt, reumque ad declarationem honoris actori faciendam adigunt.

Clarum itaque est, conceptum iustitiae iuridicae, quem stabiliimus, et *usui loquendi* esse congruentem, et maxime *utilem*, quin *necessarium* quoque tum in Iuribus Arbitrariis, tum praecipue in Iure Naturali.

§. XX.

Quodsi tandem et auctoritate pugnandum esset; nec illa etiam destituimur: quum et philosophi et Icti, tum antiquorum tum recentiorum quoque temporum, reperiantur, qui, ubi *iustitiam*, in *sensu* praecipue *strictissimo* h.e. *iuridico*, describunt; aut plane ac omnino, aut certe, quod eam legum speciem, in qua iustitiam externam versari contendimus, perfectas scilicet, attinet, a nostris stant partibus. Pertinet huc sententia ARISTOTELIS^{a)}, CICERONIS^{b)}, SENECAE^{c)}, IVSTINI HISTORICI^{d)}, IULIANI^{e)}, ICTORVM ROMANORVM^{f)},

GROTII ipsius ^g), Perillustrium COCCIORVM ^h), KÖHLERI ⁱ). Sentiunt porro nobiscum omnes, qui THOMASII vestigia prementes principium *iusti* a principis *honesti, pii, decori* distinguunt; nec minus illi, qui a Jurisprudencia omni leges imperfectas exclusas iudicant, quod cum Cocceis praeprimis GYNDLINGVS vrget: et illi denique, qui omnem iustitiam externam actionibus; personis non nisi internam tribuentes, istam verum Iuris finem adferunt, hanc ad doctrinam morum pertinere iudicant TREVERVS ^k), GEBAVERVS ^l).

a) ARISTOTELES: "*iustitia* est virtus, per quam, quae sunt *sua*, singuli habent: *iniustitia*; vitium per quod *alienum* habent, *Rhetor.* lib. I. c. 9. Idem *Ethicorum* lib. V." quoniam is, qui contra legem admittit, est INIVSTVS: IVSTVS est, qui legem servat. Ceterum aliis locis iustitiam dispefcit in vniuersalem et particularem: posteriorem hoc loco intelligit, quae nostro systemati, si a virtutis termino abstrahis, ad amissim congruit.

b) CICERO *de Offic.* lib. I. c. 7. et 10, it. lib. III. c. 6: "*iustitiae* primum est munus, aliis non nocere." Idem ib. lib. I. c. 28: "*Iustitiae* partes sunt, non violare (h. e. laedere homines); verecundiae non offendere" (officia humanitatis denegare). Idem *de finibus.* V. 65: est "animi adfectio *suum cuique* tribuens," et de *invention.* lib. II. "*iustitia* cuique *ius suum* et dignitatem tribuit."

c) SENECA *epist.* 82. ait, "hoc iustitiae conuenire, *suam cuique* reddere.

d) IVSTINVS *histor.* lib. II. c. 2. "Haec continentia illis (Scythis) morum quoque *iustitiam* edidit, *nihil alienum* concupiscentibus. . . . Atque vti nam reliquis mortalibus *frugalitas* moderatio et *abstinentia alieni* foret: profecto non
„tan-

„ tantum bellorum per omnia saecula terris omnibus conti-
 „ nuaretur: neque plus hominum ferrum et arma, quam na-
 „ turalis factorum conditio raperet. Prorsus vt admirabile vi-
 „ deatur, hoc illis naturam dare; quod Graeci longa sapien-
 „ tium doctrina praeceptisque philosophorum consequi ne-
 „ queunt: cultosque mores incultae barbariae collatione su-
 „ perari. Tanto plus in illis proficit vitiorum ignoratio, quam
 „ in his cognitio virtutis.

e) IULIANVS Imperator, quum primam legem de Deo co-
 lendo stabiliuisset, alteram de *iustitia* constituit his verbis: „ lex
 „ altera, et ipsa suapte natura sancta atque diuina ea est,
 „ quae semper et vbique *alienis abstinere* iubet, neque vero
 „ aut *verbo*, aut *facto*, („ aut arcanis animi cogitationibus“,
 „ quae tamen magis ad *iustitiam internam* et *moralem*, quam
 „ *externam* seu *iuridicam* pertinent) „ contrarij finit“. *Orat.*
 VII. p. 209. edit. Spanhem.

f) Ipsa Vlpiani iustitiae definitio legalis Romana satis nobis-
 cum sentit quoad posteriorem partem: „ est constans et per-
 „ petua voluntas, *ius suum cuique tribuendi*.“ L. 10. D. de Iust. et
 Iur. conf. leg. 31. §. 1. D. de pos. Nam quoad „ constantem
 „ et perpetuam voluntatem“ magis ad morum doctrinam, quam
 ad Iurisprudentiam pertinet. conf. diss. Jll. GEBAVERI de
Iustitia et Iure §. 4. Simili ratione et *Iurisprudentia* defi-
 nitur, quod fit „ rerum diuinarum atque humanarum noti-
 „ tia, *iusti et iniusti scientia*“, *Inst. de Iust. et Iure*, §. 1. De-
 „ nique ibidem §. 3. *iustum* tribus praeceptis contineri adse-
 „ ritur, scilicet: vt honeste viuatur, *nemo laedatur*, *suum cui-*
 „ *que tribuatur*. Duo posteriora eodem prorsus redeunt, et
 „ pro nobis militant: primum vero membrum, siue illud per offi-
 „ cia erga alios imperfecta, seu per officia erga se ipsum in-
 „ terpreteris; quatenus de iis taceant leges speciales Romanae,
 „ a sphaera Iuris, vnanimi Icto. um Recentiorum consensu,
 „ exulat.

g) GROTIUS pluribus locis fatetur, "totam iustitiam
 „in *alieni abstinentia* positam esse", prolegom. §. 10. et §. 44.
 et Lib. I. c. 2. §. 1. n. 7.

h) HENRICVS L. B. de COCCEII per totum locuple-
 tissimum in Grotii I. B. et P. *commentarium* id agit, vt Iuris
 Naturalis sancita restringat ad *alieni abstinentiam*, cuius ve-
 stigia et premit SAMVEL L. B. de Cocceii Henrici filius,
 tum in *observationibus*, commentario Parentis insertis, tum
 maxime ac dedita opera in *diff* ad Grotium *proemiali* XII.
 quae et sub titulo: *Noui systematis Iustitiae Naturalis et Ro-*
manae, separatim prodiit lib. I. c. 5.

i) HENRICVS KÖHLERVS in *Exercitatione IV. Iuris*
Naturalis, §. 797. "Iustitia externa est virtus, suum cuique
 tribuendi. *Virtutis* vocabulum non satis congrue hoc loco
 a Köhlero est positum, quod ex iis, quae antecedunt et
 insequuntur hanc definitionem, facile liquet. Nam iustitiam
 externam tribuit omni ei, qui externe est iustus: *iustum* ve-
 ro esse dicit eum, qui suum cuique tribuit, seu ab alieno
 abstinet, quod fieri potest remota etiam virtute.

k) TREVERVS in *notis ad Pufendorff de O. H. et Ciu.*
 lib. I. cap. 2. §. 12. p. 67., vbi confutat huius sententi-
 am, quod iustitiam personae (internam) in censum officio-
 rum Iuris Naturalis referat. Verba Treueri sequentia sunt:
 „*Iustitia personae* (interna) alius plane fori est, et ad philo-
 „sophiam moralem siue *Ethicam* spectat, non ad *Ius Naturae*.
 „Personae enim iustitia 1) *virtus* est, vt ex definitione au-
 „thoris constat, de qua in ethicis; *iustitia actionum* ad offi-
 „cia spectat Iuris Naturae: 2) *obligatione interna* nititur; iu-
 „sticia actionum obligatione externa: 3) de ea in *foro con-*
 „*scientiae*; de hac in foro externo humano constat. Hinc
 „ethici vberius de iustitia personarum explicuerunt, eius-
 „que partes constituunt puritatem, quae refecat, quod vl-
 „tra mensuram superest; et perfectionem, quae supplet,
 „quod ad plenam mensuram deest."

l) Il-

1) Illustr. GEBAVERVS in *Ordine Institut. Iustinianearum*, lib. I. t. i. p. I: "Finis Iurisprudentiae est *Iustitia*,
 ,, quae est vel interna seu *personae*, vel externa seu *actionum*.
 ,, Illa est constans et perpetua voluntas, ius suum cuique
 ,, tribuendi, magis tamen ad *morum* doctrinam, quam ad Iu-
 ,, risprudentiam pertinet. Haec est qualitas actionum huma-
 ,, narum, secundum quam *extrinsecus* et ad legum normam
 ,, exactae dicuntur *iustae*. *Verus* nostrae artis *finis*." Conf. E-
 ,, iusd. dissert. de *Iustitia et Iure*, §. 4. vbi: "tales iustitias" (quae
 ,, *virtutem* inuoluunt) inquit, "ad Ius nostrum trahendae non sunt,
 ,, et ad ICtos nihil pertinent. Qua in re vno, sed fortissimo vti-
 ,, mur argumento, neminem sanum vlli arti aut homini *finem*
 ,, praefigere, de cuius consecutione profus est *desperandum*.
 ,, Finis Iuris nostri dubio procul est *Iustitia*: iam videamus, qua
 ,, ICto ad istam semita fit eundum, quibus subsidiis instructus sit,
 ,, ad id, quod cupit, quod in arte sua extremum est, obtinendum.
 ,, Sunt illa: legum praecepta; vis iusta magistratibus concessa,
 ,, merum mixtumque imperium; hominum negligentium, con-
 ,, tumacium, nequam et nefariorum acris cöercitio. His homi-
 ,, num voluntates in melius mutari, constantes effici, perpetuas
 ,, fieri" (homines ad *virtutem* perducere) "posse si putas; falle-
 ,, ris, et quidem vehementer falleris. . . . Est itaque *Iustitia*, ve-
 ,, rus Iurisprudentiae finis, vtpote *ad quam peruenire datur*, ea
 ,, actionum humanarum qualitas, qua ad legum normam exactae
 ,, iisdem conuenientes deprehenduntur. Hanc leges volunt et
 ,, iubent, magistratus a suis ciuibus exigunt, vbi hos a legitimo
 ,, tramite aberrasse vident, contumaces iusto imperio cöercunt,
 ,, facinorosos etiam suppliciiis vleiscuntur." Addit §. V. "Ni-
 ,, hil *ICtis* negotii est cum voluntatis humanae emendatione. . .
 ,, Virtutis ipsiusque iustitiae *corticem* seruamus, et misso animo
 ,, actiones hominis, vt a legibus ne aberrant, moderamur, infle-
 ,, ximus, emendamus. *Philosophus* ipsam *medullam* scrutatur, om-
 ,, nes animi humani latebras excutit, ipsam voluntatem aggre-
 ,, ditur, et, vt ad rectum iustumque pronus feratur, sua arte
 ,, efficere conatur.

§. XXI.

Ergo nullius in Jurisprudencia humana vsus est

1) ARISTOTELIS ^{a)} definitio iustitiae, quod sit obseruantia omnium *virtutum* erga alios;

2) nec *Stoicorum* illa, quam Ius Romanum ^{b)} adoptat, quod consistat iustitia in *constante et perpetua voluntate*, ius suum cuique tribuendi; multo minus

3) iustitiae (scil. iuridicae) *diuisio* Peripathetica in *uniuersalem* atque *particularem*, et, quae eodem redit, GROTII in *attributricem* et *expletricem* ^{c)}, recentiorum philosophorum in *internam* et *externam*. In Jurisprudencia non attenditur nisi ad iustitiam particularem seu expletricem seu externam, hoc est ad obseruantiam seu non-violationem legum perfectarum: reliqua iustitia, quae in obseruantia obligationum erga alios imperfectarum consistit, est simpliciter moralis, non vero iuridica.

a) Lib. V. c. I. *Ethicorum*.

b) *Princip. Instit. de Iust. et Iure*, et leg. 10. D. de I. et I. scilicet haec definitio iustitiae, quod ad genus proximum attingit, potius ethicae, quam iuridicae iustitiae est accommodata.


c) GROTIUS in *Iur. B. et Pac.* lib. I. c. I. §. 8. n. I. Nobis adstipulatur THOMASIVS in *Jurisprudenciae diuinae* lib. I. c. I. §. 106: "Iustitiae diuisione in *expletricem* et *attributricem* in Iuribus Positiuis carere facile possumus", iterumque Jll. GEBAVERVS in *alleg. diff. §. V.* "ad ICtos nihil pertinet illa Stagiritae diuisio *Iustitiae* in *uniuersalem* vel *particularem* ... Quid vetat, quo minus fines vtriusque artis, Iurisprudenciae et Philosophiae, statim regamus, et fundum Iustitiae Aristotelicae, a nostris hactenus pro communi vsurpatum, iustis solisque illius possessoribus restituamus.



Fc 2211







GOTTFRIEDI ACHENWALLI
PROF. PHIL. ORD. ET IVR. EXTRAORD.
IN ACAD. GEORGIA AVGVSTA
OBSERVATIONES
IVRIS NATVRALIS

SPECIMEN III.
DE
LEGE PERFECTA
SEV DE
IVRISPRVDENTIA IN GENERE.



GOTTINGAE
SVMT. VICT. BOSSIEGEL. MDCCLIV.

